Mandatum ad Gedanen

Sigismundus etc.

Spectabilibus et Famatis Burgrabio Proconsulibus Conss. Civitatis nostrae Gedanen. Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Spectabiles et Famati Fid. nobis dilecti. Habent Successores Famati olim Joannis Borkmani civis Gedanen. coniunx tutores ius ex arresto et iuris processu lucratum et perductum super certis rebus arrestatis Famatorum Pancratij Heur et Georgij Ringler Civium Norimbergen. qui in bona defuncti Joannis Borkmani in dicta causa et privata potestate ita involaverunt ut inter alias non exigui pretij merces et summas pecuniarias syngraphas quoque multas morte ipsius Borkmani relictas ultra summam quadringentorum millium flor. sese extenden. intercepissent. Cum autem nihil sit aequius quam ut ius cuique et praesertim pupillis et viduis sine tergiversatione dicatur Mandamus Fid. ut sedulo ut eisdem pupillis et tutoribus sine ulla procrastinatione rem iudicatam exequantur resque arrestatas et eis adiudicatas illis extradant et ab eis peres quos arrestatae sunt extradi curent neque ullam de se conquerendi occasionem eisdem pupillis relinquant. Pro gratia nostra offerque etc.

Mandatum in ca. Pupillari

Sigismundus etc.

Universis et singulis Civitatum et oppidorum Regni nostri et Ducatuum eidem annexorum Capitaneis Vicecapitaneis Tenutarijs Proconss. Conss. Advocatis Iudicibus Scabinis alijsque Magistratibus cum Iurisdictione Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Generosi Nobiles et Famati Fid. nobis dilecti, debent certae personae certas summas Famato olim Joanni Borkman Civi Gedanen. cuius Successores cum suis tutoribus per Plenipotentes suos eadem debita iure sunt exacturi. Habent ijdem heredes ius coram Spectabili Senatu Gedanen. contra Famatos Pancratium Heur et Georgium Ringler Cives Norimbergen. in causa per vim acceptorum certorum bonorum eiusdem Joannis Borkman morte relictorum obtentum

337